





1738  
S  
SPECIMEN IN AVGVRALE MEDICVM

EXHIBENS

DYSENTERIAM  
EIVSQVE CVRATIONEM OBSER-  
VATIONIBVS AC CAVTELIS  
DEBITIS ADORNATAM

QVOD  
AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM  
*IN REGIA FRIDERICIANA*  
ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
OBTINENDIS


PUBLICÆ LVCI EXPOSIT  
FRIDERICVS SOMMEREY

FRIDLANDA - BORVSSVS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ

Typis JOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI , Acad. Typogr.  
M DCC XXXVIII.



# VIROS

MAGNIFICVM JVRE CONSULTISSIMVM  
ATQVE EXCELLENTISSIMVM

# JOAN. REINHOLDVM GRVBE

J. V. DOCTOREM ET PROFESSOREM ALBERTINÆ HVIVS  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORVS-  
SIÆ SVMMI TRIBVNALIS AVLÆ ET REIPVBLCÆ  
REGIOMONTANÆ CONSILARIVM

NEC NON

CIVITATIS CNIPHoffIANÆ JUDICEM LONGE  
DIGNISSIMVM

# MÆCENATEM

MAXIMA EAQVE QVA PAR EST VENERATIONE  
PROSEQVENDVM

NEC NON  
**MAXIME REVERENDVM AMPLISSIMVM**  
**ATQVE DOCTISSIMVM**

# **CHRISTOPHORVM** **GRVBE**

PHILOSOPHIÆ ET LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRVM UT ET COETVS ET ECCLESIA TRAGHEI MENSIS REGIOMONTANI PASTOREM FIDELISSIMVM

## **PATRONVM AC FAVTOREM** **SINE PARI**

PAGELLIS HISCE REVERENTIA AC OBSERVANTIA DEBITA SALVTAT SEQVE IPSORVM PATROCINIO ET FAVORI CONSTANTISSIMO HVMILLIME COM-MENDAT

CLiens ad TVMBAM VSQUE DEVINCTISSIMVS  
FRIDERICVS SOMMEREY.

J. N. J.

SPECIMEN MEDICVM

EXHIBENS

DYSENTERIAM EIVSQVE CVRATIONEM  
OBSERVATIONIBVS ET CAVTELIS DE-  
BITIS ADORNATAM.

PRÆFAMEN.



Enerandi Medicinæ rationalis Antistites, uti in reliquis scientiæ suæ partibus, dogmata pertractanda, juxta certum ordinem proponere, tam antiquiori ævo, quam recentiori tempore, occupati fuere; sic in Pathologia in primis, doctrinam de morbis, eorumque causis ac symptomatibus, ad methodum scientificam nunquam non digerere, omnem navavere operam. Ex hac etiam cauia, morbos in certa genera, variasque species dividere, non minus utile, quam magis necessarium fore, autumavere. Aliis autem morborum distinctionibus hac vice sepositis, meo sufficit proposito, ut tantum illius in præsens mentionem faciam, qua corporis humani affectus appellantur vel endemii, vel epidemii. Illi alicui populo in specie sunt familiares, hi vero sine discrimine,

A 3

quam

quam plurima subjecta, simul contagione sua inficiunt & deinde simul ad longum tempus discedunt. Dysenteriam epidemias itidem annumerandam esse malis, inter alia terrarum loca, & Prussorum Metropolis, Regiomontum, cum sua vicinia, incolas suos vivos & expertos producit testes. Enim vero diebus aestivis, Anno 1736. hic locorum alvi fluxus mucidoeruentus, lue sua graseante, multos utriusque sexus, omnis aetatis ac dignitatis affecit homines, sic ut ex eorum numero alii quidem pristinam recuperarint sanitatem, alii autem, ob intolerabiles morbi gravissimi cruciatus, praeter spem vitam cum morte commutare, coacti fuerint. Hoc igitur morbo iis temporibus populariter fervente, ego, qui per aliquot annorum decursus, Medicinæ addiscendæ studium impendi, hujus mali indolem, causas ac curationes mihi notas, perspectasque reddendi occasionem arripui, in primis cum non temel in praesentia Medicorum, experientissimorum Practicorum, & Professorum excellentissimorum, Dysentericorum medicationibus interesse, mihi licitum fuerit, ob quam rem & nunc pro Theate inaugurali elaborando, Dysenteriam, ejusque ceu difficillimi mali, curationem feligere, nullus dubitavi. Quod si vero in materia hujus enodatio-

datione, non omni ex parte, tuæ L. B. fatisfecerim  
expectationi, veniam dabis, cunctaque ut bonam  
in partem interpreteris, omni, qua decet, huma-  
nitate expeto. Summum vero & solum ado-  
randum numen, clementissime meo annuat  
conatui.

§. I.

**V**Arios inter morbos, infimam corporis humani  
cavitudinem, & in eadem contenta intestina, gravi-  
ter afficientes, Dysenteriam, non ultimum sibi  
vendicare locum, res est extra omnem dubita-  
tionis aleam posita. Verum enim vero, affectum hunc,  
præter alia quam plurima, eaque haud levia symptoma-  
ta, intolerabilibus ægrotantes excruciare doloribus, in  
propatulo est. Idcirco Græcorum medici etiam hunc  
morbum appellare Dysenteriam, non dubitavere; se-  
cundum eorum enim idioma, nomen *duore regia*, difficul-  
tas quasi intestinorum cum exulceratione oritur. Me-  
diorum CICERO, AVREL. CORNEL. CELSVS de  
*Medicin.* Libr. 2. Cap. 8. & Libr. 4. Cap. 15. Dysenteriam lati-  
ne expressit per tormina; hinc dysenterici non semel  
simpliciter torminosi, tam ab illo quam aliis dicuntur.  
Ordinario porro Dysenteria fluxus alvi torminosus, Di-  
arrhaæ mucido-cruenta, germanice der rothe oder weiss-  
se Bauch-Gluss, die rothe oder weisse Ruh, der Blut-  
gang, nominatur. His præmissis dico: Dysenteria est  
frequens alvi excretio, cruenta, mucida & purulenta,  
ventris torminibus, tenesmo, virium prostratione, aliis-  
que symptomatibus, ut & commotionibus febrilibus,  
plus

plus minus acutis conjuncta , & ab acrimonia humo-  
rum, intestina afficiente, proveniens.

## §. II.

Hujus autem morbi duæ præcipue dantur species,  
quarum altera, ob sanguinem, fecibus & materiæ peccan-  
ti per anum eliminatis admixtum, cruenta, die rothe  
Ruhr, altera autem propter viscidum albicans, intesti-  
norum fibris corrosis, seu eorum strigmento simile, mu-  
cida: die weisse Ruhr appellatur. Dividitur etiam vel  
in benignam, ægrotantes leviter corripientem, vel ma-  
lignantam, quæ ea decumbentes, maxima cum virium im-  
minutione, summa præcordiorum anxietate, diris ven-  
tris doloribus, aliisve symptomatibus febrilibus exasper-  
atis, præcipiti invadit progressu. Tandem distingue-  
da venit, vel in sporadicam seu particularem, in alio, a-  
liisque subiecto e commisso in diæta errore tantum sub-  
ortam, vel in universalem seu epidemiam, quamplu-  
rimos homines simul, aut aeris qualitate corporis humano  
adversa, aut miasmatis cujusdam contagio, perniciose in-  
fectantem. In omni vero Dysenteria, cujuscunque generis  
etiam illa fuerit, quidpiam maligni latere, ipsa testatur  
experientia, ob quam causam celeberrimi complures  
medici hunc affectum morbis contagiosis annumeran-  
dum esse, aperte & sine ambagibus statuerunt.

## §. III.

Torminosum alvi fluxum vero ab aliis intestinorum  
excretionibus cruentis, mucidis ac purulentis, maxime  
differre, ex lequentibus signis pathognomicis clare pa-  
tebit. Sic Dysenteria discrepat ab hæmorrhoidibus,  
quod in illa materia spumida, ulcerosa, & cruore per-  
mixta, inferius eliminetur, in his vero major sanguinis  
fluidi

fluidi per anum facta profusio obseruetur. Porro Dysenteria decumbentes, a cruroe largiter manante semper fiunt imbecilliores, & cymbæ charontis proximiores trahuntur; haemorrhoidibus autem laborantes, quo libetior sanguinis fluxus in iis reperitur, eo sunt vividiores & salubriores, citiusque pristina eorum restituitur sanitas. Quodsi etiam ob impropositam frustulorum virtutis aut aliarum rerum praeternaturalium & acuminatarum deglutionem, cruar per intestinum rectum fluere animadvertisatur, tunc nec illud symptoma dicendum erit Dysenteria, sed potius haemorrhagia intestinalium ex vulneribus infictis suborta. Differentia itidem quæ datur inter Dysenteriam & diarrhoeam, apparet ex materia per anum dejecta; si enim illa serosa, mucosa, vel biliosa solum fuerit, tunc effluxus ille diarrhoea vocatur; Dysenteria autem ex mucidis cruentis ac purulentis excrementis dijudicatur. Dysenteriam insuper separandam esse constat a fluxu hepatico, utpote qui in copiosa & frequenti sanguinis aquosis & carnium loture similis sine torminibus per alvum excretionem consistit; nec non a lienteria, in qua esculenta & potentina, prout ingesta fuere, per alvum iterum egeruntur, ac tandem a passione coeliaca, in qua assumpta quidem in chylum convertuntur, ast hic a fecibus in intestinis nec debite secretus, nec in sua vasa distributus, una cum excrementis per alvum ejicitur. Non possum non alias adhuc allegare differentias in praxi scitu necessarias. Sic enim aliquando sine intestinalium vitio, motu & impetu naturæ, per alvum effluit sanguis, quod symptoma precipue in Dysenteria scorbutica nota, spleenitide & melancholia laborantibus, observare licet, se-

cundum D. MICH. ET TIVILLERVM in *Colleg. pract.*  
*Sect. VIII. Cap. VII. p. m. 225.* In sexu sequiori quoque men-  
 sibus suppressis, per vias insolitas, hinc & per alvum a-  
 liquando fluere menstrua, autores medici annotavere,  
 quorum relations collectas lustrare licet in *Clarissim. D.*  
*MARTIN. SCHVRIGII Parthenologia histor. medic. Sect. II.*  
*Cap. III. p. m. 110-113. §. 17.* Nec ille fluxus purulentus vel  
 cruentus, qui ob ulcerosam mesenterii, pancreatis aut  
 aliis visceris labem, natales suos habet, & per intesti-  
 num rectum exitum suum querit, cum Dysenteria erit  
 confundendus. Dn. NEMEITZ in tractatu suo, cuius  
 titulus est: *Séjour de Paris, seu Beschreibungen von Paris,*  
*Cap. XXXIII. p. m. 390.* cuiusdam alvi fluxus macido crue-  
 nti, Lutetiis Parisiorum endemie grassantis, & ani venas  
 plerumque infestantis, mentionem facit, & de eo refert  
 sequentia: daß Wasser aus dem Seine-Fluß, wird zu  
 Paris überall gebraucht; man trinket, man braucht da-  
 von, man kocht Essen darmit, &c. &c. und man hält davor,  
 es sei solches ein sicher gesundes Wasser, wenn man nur  
 desselben erstlich gewöhnet sey. Doch Fremde bekom-  
 men darnach insgemein einen Anstoß vom Durchfall,  
 und damit bezahlet man, wie es die Franzosen nennen:  
 le tribut du pais. De hoc autem malo medicus magnæ  
 eruditionis & experientiæ *Celeberr. D. FRID. HOFF-*  
*MANNVS, in Medicin. Rational. Systemat. Tom. 4. Part. 3. Sect.*  
*2. Cap. 7. p. 527. §. 4.* tale fert judicium: convenire cum Dy-  
 senteria videtur, attamen ab illa discrepat affectus ille a Gallis, le Mal  
 de Paris dictus, qui Lutetiis Parisiorum endemius est, & quosunque  
 fere corripit advenas. Hic enim consistit in crebriori alvi dejectio-  
 ne, primum mucosa, deinceps cruenta, sed in eo differt a fluxu Dy-  
 senteria, quod eo malignitate longe inferior, nec contagiosa, nec fe-  
 bri

bri stipata sit; quolibet anni tempore irrvadat, & per longius tempus detineat ægrotantes, ita tamen, ut in publicum prodire, ac suis fungi queant officiis; que in Dysenteria longe se habent alter. Omnes equidem hi morbi modo recensiti, cum Dysenteria quidam analogi habere, videntur; ast quam longe inter se distent, ex prolatis circumstantiis luculenter constat.

§. IV.

Si jam consideremus signa diagnostica, e quibus medicinae rationalis practici Dysenteriam vel benignam vel malignam dijudicare consvereret, notandum breviter, quod in benigna initio ægrotantes conquerantur de tormentibus in abdome magnis, quibus extemplo frequentes alvi dejectiones, cum ingenti intestinorum depressione, dolore acuto & molestissimo viscerum quasi omnium descensu conjunguntur; alvi depositiones primo quidem sunt stercores, mox vero simpliciter vel mucosæ, vel sanguineæ, vel etiam mucidæ cruentæ. Ob acrimoniam intestina stimulantem, accedit ordinario tenesmus, ægrotantes admodum inquietos reddens. Horripilationes & phlogosæ febres, alternatim affectum hunc, haud interrupta serie, concomitantur. Propter humorum defectum e præternaturali & adaucta alvi depositione ægrotantium corpus extenuatur, languescit, & facies eorum naturalis cum Hippocratica commutatur. Ciborum appetitus, ob depravatum ventriculi fermentum, est imminutus; sitis vero ex colliquatione humorum insigniter adaucta, apparet etiam lingua siccæ, subalbida & mucilagine densa obsita, cui non raro faecium accedit inflammatio. Cum Ieri quoque fecratio ex humorum inopia in renibus & vesica urinaria debite non absolvatur, hinc lotium parce excernitur, & aliquan-

liquando plenaria ejusdem suppressio ad tempus, alvi fluxu cruento laborantes occupat. In Dysenteria maligna vero præter ea in benigna observabilia, conservata symptomata, exasperata & longe diriora apparent dramata: uti sunt febris ardentissima, præcordiorum anxietates, subitanea virium prostratio, animi & corporis inquietudo, agrypnia, intestinorum inflammatio, erosio & suppuration, lingua arida & nigra, quæ omnia ægrum ad summum vitæ discrimen perducunt, ac omnium malorum agmen per mortem claudunt. Observationes, quibus dicta confirmantur & illustrantur, videri possunt in Illuftr. D. HOFFMANNI Medicin. Ration. Systemat. Tom. 4. Part. 3. Sect. 2. Cap. 7. quæ utramque morbi speciem reuelantes, relegi merentur.

### §. V.

Causam proximam Dysenteriæ inquirens, illam e sola humorum acrimonia, intestina præternaturaliter afficiente & corrodente, derivandam esse, multis rationibus hac in re luffultus, statuo. Quodsi enim ad causam procatarcticam seu occasionalem considerandam progedior, illam errori in diæta commisso, vel etiam contagio cuidam tribuendam esse autumo, quod non tantum experientia quotidiana, sed variis Autorum practicorum aliorum observationibus comprobare, allaborabo. Sic de Dysenteriæ causa remota alios inter calus sequentem recenset JOH. RHODIVS, *Observ. Medic. Centur. 2. Observat. 86. p. m. 97.* Puerum, inquit, lixivio imprudenter hanstro, Dysenteriam sibi perniciosa contraxisse, testis mihi Benedictus Silvaticus. Porro Dysenteriam a muscis cobalto enecatis, & inopinato epotis fuisse subortam, A. N. C. Dec. 3. Anno 7. Obj. 174. ab esu carnis suillæ in Hungaria, Breslau. Gesch.

Gesch. 31. Versuch, p. 150. ab eis halecis D. RIEDLINVS cur. med. 189. ob raparum esum, IDEM lin. med. Anno 6. mart. observat. 18. pag. 301. ex comesta brassica capitata, noxio rore infecta, A. N. C. Anno 3. observat. 88. ex nebula, Acta Berolinens. Dec. 2. Vol. 7. p. 103. ex intensa aëris siccitate, A. N. C. Dec. II. anno 4. obs. 24. post febrem continuam malignam, A. N. C. anno 6. obs. 104. ex ulcere pedis curaco, A. N. C. Dec. 2. Anno 2. observ. 213. e prunis flavis, von Spillingen, FORESTVS Lib. II. observ. 23. a lacte matrum vel nutrimentum dysentericarum infantibus eandem labem communicante, A. N. C. Dec. II. Anno 6. observ. 195. a vermis testina corrodentibus D. NICOL. ANDRY im gründlichen Unterricht von Erzeugung der Würme im menschlichen Leibe, Cap. 4. artic. 2. p. m. 126. a mensibus suppressis ZACVTVS LVSITANVS de prax. med. admir. lib. 2. observ. 19. Oper. Tom. 3. fol. 45. ob copiosorem ribium esum, ac vini limonati potum, ut & post usum acidularum. Clar. D. VALENTINI Prax. medic. infallib. Seccl. I. p. m. 40. & 41. testantur. Itidem Excellent. D. FRID. HOFFMANNVS, in annotat. ad Petr. Poter. Oper. Pract. Cap. 31. not. a p. 54. expertus refert: Nonnunquam excedentia medicamenta & alimenta vitiosa acria, altius se in intestinum figunt, Dysenteriam cident, tam notavi a nimio & incauto spiritus nitri in febribus usq[ue] pro extingendo calore. Huc etiam verba pertinere videntur FORTVNATI FIDELIS, quæ in relationibus medic. lib. I. C. 9. p. m. 163. leguntur. Hoc tamen te interim admonitiona velim, complures esse fontes, qui per plumbeos canales aquas derivant, quos tu si quando perspexeris salubriter evellendos præcipes, assidius enim hujus aquæ usus in salubribus est deprehensus. Linus enim quidam ex plumbō in ea continctus, unde etiam, qui aqua ejusdem fecem combibunt, dysenterici evadunt. Ex his igitur, aliisque medicis

næ practicorum observationibus combinatis & examinatis constat, omnes Dysenterie causas procatarrhicas ac occasioales, quæ & quales etiam illæ fuerint, in eo unico, quasi in centro, concurrere, quod humores corporis humani inquinent, & fermentatione acreiores reddant, qui postmodum acrimonia sua, tanquam Dysenterie causa proxima, intestina vellicando ac rodendo, diarrhoeam mucido-cruentam suis symptomatibus stipitam, in scenam producunt.

### §. VI.

De Dysenterie contagio meam quoque ut explicem mentem, illud vel in aëris impuritate, vel in ejus mutatione subitanea & corpori humano adversa, palmario querendum esse adfirmo. Inquinatur vero aér, noxiis paludum effluviis, amplissime docente LANCISIO, in singulari, quem de hoc argumento dedit, tractatu: porro ipsis mumiis exhalationibus e cadaveribus tam hominum, quam brutorum progredientibus, conspurcatur. Hæc etiam causa sunt, quod Dysenteria castra sequi, & in iisdem incredibilem contagio suo stragem facere soleat, confer RAMAZZINVM de morbis artificum p. m. 636. aér itidem hypocusto, cruento alvi fluxu laborantium, inclusus, ob vapores a mucido cruentis dejectionibus assurgentes, adeo malignus redditur, ut alii etiam homines, bonæ alias valetudinis, ægris vel adstantes, vel eosdem visitantes, ex hoc aëris impuri contagio, præter omnem spem in dysenteriam incident. Quod vero & aëris mutatio subitanea & corpori humano contraria, dysenteria epidemice gravanti suppeditare possit causam, historiis hac de re congestis facile comprobare licet. Plerumque enim tempestatem calidam & sicciam sub-

subsequens aer frigidus & pluviosus, in quibusdam sub-  
jectis humanis causari dysenteriam epidemiam, docent  
*Aet. Medica Berolin. Dec. I. Vol. II. IV. & VI. Aet. N.C. Dec. II. Anno  
IV. Observ. 24. BARTHOLINVS Cent. II. hisp. anat. 65. TH.  
WILLIS de medicament. Oper. Sect. III. Cap. III. & SYLVIUS  
Prax. Med. Append. Tract. X. §. 295. p. m. 833.* Imo & haec ob-  
servata vetustioris avi medicis fuisse cognita, ex HIP-  
POCRATIS scriptis constat; sic enim venerandus se-  
nix *Aphor. Sect. III. §. 1.* mutationes temporum pariunt  
morbos, §. II. si hiems plus justo frigidior & siccior ex-  
stiterit, ver autem pluviosum & austrinum, æstate futu-  
ras esse dysenterias, & §. 12. si hyems admodum austera  
fuerit & pluviosa, ver autem siccum & aquilonare, dy-  
senteria producendæ tempestates illas esse maxime ido-  
neas, perite testantur. Ratio hujus rei in eo fundata  
est, quod nimirum tempestate calida & siccata, corporis  
humani exhalationes sint adauctæ, hinc ad situm immi-  
nuendam, in majori, quam par est, quantitate, variis ge-  
neris hauriuntur potus, in primis subacidi & refrigeran-  
tes, e quo diæta errore vero, actio ventriculi & intesti-  
norum debilitatur, & cacockymia acquiritur. Aeris  
calorem subsequens frigus autem, corporis humani po-  
ros magis confringit, & insensibilem transpirationem  
inhibet, quo fit, ut exhalationes impuræ ad internas  
corporis humani partes recedant, illasque magis infe-  
stent. Si intestinis jam jam se insinuant haæ particulæ  
peregrinæ repulsæ, excitant in illis dolorem, tenesmum,  
tunicarum arrosonem, ipsamque alvi depositionem præ-  
ternaturalem, epidemice tunc grassantem.

### §. VII.

Partes corporis humani in dysenteria affectæ, sunt  
inte-

intestina tam tenuia quam crassa, imo totus ille canalis e gutture superiori, usque ad inferius determinatus, prout illud e symptomatibus, taucium scilicet inflammatione, præcordiorum anxietate, vomendi conatu, & intestinorum tormentis colligere licet. In specie vero, an intestina tenuia, vel crassa, irritata ac lœsa fuerint, e sequentibus signis desumendum: si enim humorum acrimonia, tanquam dysenteriae causa efficiens & proxima, intestina tenuia occupaverit, ægrotantes conqueruntur de dolore acuto, intestina quali cultris discidente, præprimis circa umbilicum & regionem hypochondriam, tardior quoque post tormenta succedit alvi excretio, & sanguine ac muco magis permixta sunt excrements, gravisque cardialgia, ut & subsequentes vomitus, ægros discruciant. Quodsi vero intestina crassa dysenteria fuerint correpta, tunc dolor remissior & obtusior, infra & juxta ventriculum, ac utraque hypochondria sentitur; ægri quoque ad vomitum non sunt adeo proclives, nec in tanto gradu eorum præcordia constringit spasmus, excrements itidem post tormenta statim ejiciuntur, eaque & sanguine & muco minus sunt confusa. Si autem hæc symptomata combinata quasi apparent, acrimoniam humorum totum intestinorum tractum vexare, concludendum erit.

## §. VIII.

Alvi fluxus mucido - cruentus epidemice grassari solet præprimis mensibus æstivis ac autumnalibus, & quidem ea de causa, quoniam iis temporibus partim ob aduentum solis æstum, partim ob fructuum hortensium copiam, in dieta facile committitur error, ex quo postmodum, ceteris tamen causis non exclusis, corporis huma-

humano humores redduntur acriores, & eo ipso dysenteriae multa subjecta simul infestanti, maxima datur occasio. Id quod etiam affirmat magnus HIPPOCRATES in lib. de aer. aqu. & loc. p. m. 335. §. XI. his verbis: *Aestate dysenteria multa ac alvi profluvia incident.* Non semper vero hæc lues epidemicæ suam exercet tyrannidem, sed aliquando tantum sporadicæ, aliumve invadit hominem, & quidem omni tempore, tam vernali, quam aestivo, autumnali ac hyemali; ast, tunc dysenteriae causa efficiens, non aeris impuritati, vel miasmati cuidam virulento ac contagioso, sed potius diætæ perverse administratæ tantum erit tribuenda. Quod vero dysenteria sporadica, aliquando in epidemicam ex contagio degeneret, experientia constat.

§. IX.

Subjectum dysenteriae constituant omnes homines, cuiuscunque sexus ac ætatis illi etiam fuerint. Præcipue autem in hoc malum incident plethorici, utpote, qui ob abundantem sanguinis quantitatem, facillime intestinorum inflammationem, vasorum rupturam, cruentis fluxum torminosum, & febrem ardente patiuntur. Porro cacoehymici & hystericae, ob acres, acidos & erodentes succos, nec non illi, qui hypercatharsi torquentur, aut per aliquod temporis spatum diarrhea, præprimis biliosa laboraverunt, præ aliis dysenteria corripiuntur. Hi etiam, qui fructibus horæis, elculentis ac potulentis fermentescibilibus promiscue abunduntur, magis fluxui alvi torminoso obnoxii sunt, præ illis, qui omnem cibum ac potum capiunt cum judicio sive deliberatione, an hoc vel illud assumendum nutrimentum corporis sui constitutioni conveniens quoque sit? nec

C

ne.

ne. Illi itidem, quorum intestina muco acido bilioſo, aliisque impuritatibus inquinata sunt, accessu leviſe contagiij dysenterici, facile in eundem morbum incident. Ex hac poſitione ergo genuina emergit cauſa, cur diarrhoea mucido-cruenta epidemice graffante, quædam ſubiecta humana hoc malo graviter corripiantur, quædam vero leviter, vel & plane non hac lue afficiantur.

## §. X.

Materia, quæ per alvum in fluxu dysenterico ejicitur, non unius ſemper eſt generis. Sic aliquando eli- minatur mucus, qui nihil aliud eſt, quam pituita in- testinis naturaliter inhærens, vel nutrimentum male di- gestum, ac diversimode corruptum, vel & pus ex in- testinorum arroſorum ulceribus promanans. Plerumque vero mucus cruento commixtus, peralvi exoneratem deponitur; aliquando autem ſanguis ſolum fluit, & va- riatur ſanguinis extravasati quantitas, pro valorum san- guiferorum majori vel minori erosione. Interdum et- iam, aſt in ſummo ac pernicioſiſſimo dysenterie gradu, fibræ & ramenta in teſtinorum, imo carunculae ſeu fruſula ſubſtantiae in teſtinorum, ſecedunt: que tamen potius glandulae tumefactæ, & morbi progreſſu, ab in- teſtinorum ſubſtantia, ſuppuratione ſeparatæ, eſſe vi- dentur.

## §. XI.

Cum dysenteria, alia inter ſymptomata, ægrotan- tes diris etiam extorqueat doloribus, id propter de iis- deni ſimil differere, decet. Non omnis vero dolor, qui in alvi fluxu torninoſo ſentitur, e laſione in teſtinorum, eorumque vulneribus, ſuum habet orīum, ſed ſpasmus- dicæ commotiones, ob acrimoniam in teſtinorum tuni- cam

cam nerveam irritantem, inducet, passiones illas abdominales lancingantes plerumque producere solent. Ali quando autem hos dolores, & intestinorum spasmis & arrosonibus adscribere jubent morbi circumstantiae. Tandem contumacissima quædam dysenteria datur species, in qua plane de nullis doloribus conqueruntur ægrotantes, juxta testimonium D. JOH. FRANC. LOEW. AB ERLSFELD, in Medic. Pract. Lib. V. Cap. VII. p. m. 341. §. V, annotatum sequentis tenoris: *Alia dysenteria est indolens, in qua usque ad extremum halitum, nullum agri percipiunt dolorem, quem Bartholinus observavit 1669. Ex qua omnes pene mortui, seu ob maiorem malignitatem, seu intestinorum gangrenosam constitutionem, sensim omnem excludentem. Hanc ergo aliquoties deprehendi. Plerumque vero alvi fluxu tormentoso laborantes, tam in prima morbi afflictione, quam in ejusdem progressu ac statu, maximis vexantur doloribus, cuncta alia symptomata longe superantibus.*

## §. XII.

Vt omnis morborum, præprimis contagiosorum exitus est dubius, sic ut persæpe & experientissimi medicinæ practici, de hoc vel illo corporis humani adfætu, bonum eventum sibi promittentes, prater omnem spem, fata deteriora experiantur; ita de dysenteria æquale judicium ferendum esse, autumo. Videas quidem homines empiricos, eosque quo indoctiores sunt tanto impudentius semet iactantes & infallibilis medicinas methodosque ostentantes & promittentes: quid autem de his sentiendum sit, judicent alii, me doctiores, & in Machaonia arte peritores. Id interim plurimis Medicis consentientibus, scio pro certo, quod & in Dysenteria curatione locum inveniat tritum illud Distichon:

C 2

Non

*Non est in medico, semper relevetur ut ager,  
Interdum docta plus valet arte malum.*

Insuper, hæc mea sententia suffulcitur verbis Cl. D<sup>i</sup>  
IOH. DOLÆI, quæ in *Encyclop. med. dogmat.* Lib. III. Cap. V.  
p. m. 234. sic sonant: *Certe, dysenteria est malum fertidum, for-*  
*didumque satis ac munditiae studentibus maxime abominabile, quin*  
*& periculis viteque discriminibus egrorum exponit, qui contagio suo non*  
*tantum proximum, sed & provincias, totasque regiones inquinare*  
*possunt, duroque suo crudelitatis jugo subiungere.* Præterea in me-  
dicorum monumentis variæ recensentur historiæ,  
utrumque dysenteriæ eventum, & salubrem & exitia-  
lēm corroborantes, e quarum collectione ac collatione  
sequentes mali præsentis fisto prognoses: omnis dysen-  
teria, præprimis epidemicæ, & febre maligna conco-  
mitata, est periculosa. Majoris etiam momenti ac pe-  
joris indolis judicatur dysenteria, si ab eadem ventri-  
culus & intestina tenuia afficiuntur, vomitus & singul-  
tus subsequuntur, febris ardens, praecordiorum anxie-  
tas, & frequentes corporis jæstigationes de die in diem  
adaugentur; imo si vigiliis immodicis deliria & con-  
vulsiones superveniunt, tunc certo instat mors. Iti-  
dem, si excrementa per alvum sint variegata; viridia  
scilicet & nigra, nec non graveolenta, intestinorum fi-  
lamentis ac carunculis putrefactis similia, status ægrotan-  
tium procul dubio censetur exitiosus. Porro si dy-  
senteria graviter decumbentes, nec morbi initio, pro-  
gressu ac statu, de sensibili abdominis dolore conque-  
runtur, eorum vitæ terminus morti propinquus est. Illi  
etiam dysenterici, qui per totum morbi tractum maxi-  
mis vexantur doloribus, nulla vero tormenta jam sen-  
tientes, cœteris tamen symptomatibus non remissis,  
fed

sed potius adauit, mortalium fatis novissimis sunt proximi. Verum enim vero, omnes, diarrhoea mucido-cruenta pereunt, non alia ex causa, quam intestinorum gangræna & sphacelo moriuntur, secundum Cl. BARTHOLINVM, *Cent. VI. His. II. BARBETTE, Lib. IV. Cap. III.* & A. N. C. Dec. II. ann. VI. observ. 104. Hinc, quo magis externe refrigerationes, interne autem ardores sentiunt ægri, eo periculosior, ob sphacelum subsequentem, morbi erit exitus. Plerumque etiam vomitus bilioſus in principio, singultus in morbi progressu, lienteria & aphtha supervenientes, nec non maculae nigrae apparentes, vel tubercula post aurem elevata, de funesto ægrotantium statu abunde testantur. Quod si in dysenteria laborantibus quoque observetur tenesimus, cum tono ani relaxato, ita, ut clysteres injecti sine mora refluant; vel intestinum rectum tanta adstrictio & tumor occupaverit, ut nil quidpiam medicamenti per inferiora intromitti possit; de eorum convalescentia merito dubitatur. Aliquando ægrotantes paralysin muscularum cesophagi quoque patiuntur, ita, ut omne liquidum haustum cum sonitu in ventriculum defluat, quod symptomata vero dubium morbi exitum sperare facit. In sexu sequiori etiam, si dysenteria personas utero graves corripuerit, mali ominis erit; abortum enim facile subsecuturum iisdem minatur, juxta M. N. C. Dec. II. ann. 6. obs. 160. p. 324. & FRANCISC. MAVRICEAV, *observat. 13. p. 9.* Succedente autem partu legitimo, ceteris tamen circumstantiis paribus, subinde diarrhoea mucido-cruenta cum ægrotantium euphoria tollitur. Dysenteria alba, longe periculosior estimatur cruenta; quoniam in illa major humorum

C 3

acri-

acrimonia acido-austera reperitur, quæ intestina sensibilius stimulans, sanguinemque in eorum vasis coagulans, inflammationem, imo ipsum sphacelum facile efficit. Tandem perversus medicamentorum ulus, perversum etiam & calamitosum morbi finem promittit. Quodsi vero dysenteria ægrotantes haud graviter afficerit, vel ejusdem contagiosum virus, viribus medicamentorum superari videtur, quævis prospéra & magis secunda sperare licebit. Ex qua causa, si ægri redduntur quieti, febris ejusque symptomata immunita apparent, ructus & crepitus ventris, tanquam redeuntis fermenti digestivi tefses, audiuntur, & alimentorum appetitus, haec tenus prostratus, iterum adaugetur, vires C. H. amissæ fensim fensimque restaurantur, de valitudine proxime recuperanda, nullum remanet dubium.

### §. Xll.

His itaque præluppositis, ad principalem tractationis partem, dysenteriæ curationem videlicet me accingo, quæ palmario in materia peccantis correctione ac eliminatione, febris ut & symptomatum mitigatione ac suppressione, læsarum C. H. partium consolidatione, viriumque refectione consiliit. Pro his scopis obtinendis, quam plurima inserviunt remedia, e triplici naturæ regno defumenda, uti sunt: rad. bistort. tormentill. scorzon. symphyt. herb. millefol. alchimill. heder. terrestr. fl. rosar. r. balaust. papav. rh. sem. lapathi. plantag. cydonior. suber; c. c. rasp. rasur. ebur. priap. cervi. tauri. cet. unicorn. tofstill. sangu. drac. terr. figill. catech. vitriol. dulc. lac. lunæ. lap. hæmatit. aetit. cryst. mont. bolo. corall. c. c. ust. epar. viper. N. M. gran. mastich. alum. crud. cort. cascarillæ. rad. rhabarb. crud. & tof. ipecac.

ipecac. bals. copaiv., peruv., sulph. tereb, lac. vacc. capr. juscul. aven. crem. hord. gelat. c. c. oryz. amygd. d. sem. pap. alb. bacc. myrtill. conserv. rosar. r. papav. rh. the-riac. Androm. venet. cœlest. M. P. de cynogl. diaſc. Fra- cast. ol. amygd. d. lin. rec. expr. &c. conferatur, si plati- cet. D. JOH. JAC. JANTKII, select. mater. medic. tab. XVII. p. m. 78. Ex his vero medicamentis antidisentericis quædam, ob singularem & extraordinariam in dysenteriæ curatione facultatem, quam habent, specificorum nomine, in praxi medica insigniuntur; ut igitur de iisdem celeberr. medicorum observationes & consilia hoc referam, opera pretium fore existimo. Sic illu- str. reg. consil. intimus & archiater D. D. FRIED. HOFFMANNVS eruditus docet, dum. in medic. rat. syst. Tom. III. Sect. II. Cap. VIII. §. XVII. p. m. 585. Intestinorum, inquit, canalem graviter exagit, ipsiusque corpus innumeris pene sedibus ferme exhaustus dysentericus morbus, contagio infestus & in- gentem sepe stragem edens, qui pariter non quibusvis in abvi fluxi- bus proficius, sed singularibus plane abigitur, penitusque extirpatur auxiliis. Nimirum radix illa Americana ipecacuanha, experientia teste, maximum antidisentericum, si modo initante adhuc morbo, iusta dos, semel vel bis aut ter, exhibeat. Postea vero preter alia acrimoniam obtundentia, blanda diaphoretica & temperantia interne & externe adhibita, itemque rhabarbarum, ceu optimum laxans, cortici chaccarrilla certissima flaccidas intestinorum fibras roborandi, & motus effrenes sedandi ineſt efficacia. Et D. LOEW ab ERS- FELD, in medic. præf. lib. V. cap. VII. p. m. 345. circa radi- cis ipecacuanha usum, sequentes tradit notas: 1) Eam per tres dies successive mane exhibendam ad scrup. l. vel drachm. semis ex brod. calido vel cerevis. vel Thee, hinc hora elapsa preter propter, vel pituitam vel bilem vel acidum aliquid vomiu reddi. 2) Illas,

qui-

quibus primis statim morbi diebus propinatur, certius auxilium habere, quam alios diurnitate magis enervatos. 3) Ubi gravior impetus morbi, radicem vesperi reiterari: imo, in malo gravissimo ter de die sumi posse, si praesertim prima vel altera vice non fuerit securus vomitus. 4) Remedium tutissimum esse, ut granum ejus infantulo semestri dari possit. 5) Malo ominis esse, si post ejus usum nulla sequatur anxietas, nausea vel vomitus. 6) Eam etiam exhiberi posse in forma potionis, cum syrup. & aqua propriata, vel in bolo cum conseru. vel in pilul. cum mucilag. tragac. vel infuso ad drach. I. 7) Si inter initia die uno & altero dolor & alvi fluxus non cedar, radici non esse addendum laud. op. cum argutiam majorem excitet, sed intra illum manendum esse vel nsum rad. tormentill. interpolandum. 8) Radici substitui posse rad. torment. cum gr. sem. vel I. Tartari emetic. Similes etiam laudes radici ipecacuanhae tribuit Cl. JOH. MARIA LANCISIVS, de noxiis palud. effuv. lib. II. epidem IV. cap. VI. p. m. 283. quando §. XLV. ait: Ad diurnas tandem dysenterias optimam experti sumus radicem ipecacuanhae, cuius nomen ac vires ex occidentali india mirabiliter sane nostratum etiam commodo, primus in Europam invexit GVILIEL. PISO. Neque certe illo tam facile invenire est praefantius remedium adversus plurimos morbos ex longa obstructione ortos atque imprimis ad ventris fluxus, qui a veneficis causis dependent, curandos. Est autem benignum vomitivum ac suave subadstringens, unde, & ab affectis intestinis revellit, & laxis paribus tonum largitur. Porro D. MICH. ETTMULLERVS, olim medicinæ Professor ac Practicus Lipsiensis famigeratissimus, in colleg. pract. sec. VIII. cap. VII. p. m. 227. expertus scripsit: Inter specifica, acre dysentericum corrigentia, imprimis se offerunt priapus cervi, tauri, & præsertim cetti. Usurpanur vel excissati in pulvri forma, ad drachm. I. in juscuso calido propinati, vel in forma decocti, tam pro potu & remediorum vehiculo, quam pro emulsionem liquo-

liquore. Pertinet huc gelatina c. c. recens, in potu ordinario, vel julepis propinanda. Quin & ex priapis, qui sunt concretum quasi intermedium inter cartilagini & ossa, paratur gelatina. Ossa & cornua animalium, usitata vel non usitata, conveniunt. Rasura crani burnani ad drachm. I. vel ejusdem usque ad gr. XV. nobilissimum habetur antidysentericum. Item dens hippopotami, vel unicornu verum, ad drachm. sem. sanguis leporis aut agni, sub pavore mortis jugulati, exsiccatus & propinatus ad drach. sem. cum syrups. cydon. & lap. haematis specificum est. In dysenteria epidemica maligna, hepar serpentum & viperarum rite exsiccatum & pulverisatum a gr. XV. ad scrup. I. propinatur. In Dysenteria acri, cum bile porracea aut æruginosa, conveniunt crystalli præparati. Ungula equina cum butyro frixa, & deinde pulverisata ad drachm. I. nobilissimum habetur specificum. Quoad hepata ranarum virid. sit fides penes autores. Pauperculis commendatur album graecum, uva quercina, vel in ejus defectu viscus aut fungus quercinus, specificum est. Item pulvis granorum actes, ex succo bacc. sambuci cum farina secalina, his in fornace ad duritiem cocto, deinde pulverisato; pulvere dein secunda ut & tertia vice cum succo sambuci in panem formato & cocto; & tandem massæ pulverisatae addendo sangv. lepor. crud. priap. cet. & succ. gran. sambuc. que massa denuo in cibano coquatur & pulverisetur, dosis drachm. sem. inspergatur paini tosto vino intincto. Cydonium maturum excavatum cum cera & gumm. Arab. repletum assatum & comedatum, etiam specificum est. Item aqua suberina, pulvis suberis combusti, pulvis & decoctum tormentillæ, rob. sorbi terminalis, vel aucupariae, unicornu fossile, &

D

terra

terra vitrioli dulcis, ex vitriolo martiali desumpta, quibusvis martialibus longe præferenda. Martialia quidem acidum saturant, ubi ab acido malum oritur; sed in Dysenteria contagiosa aut maligna minus convenient. Sulphur, hujusque flores, sunt præstantes. Tandem opia nunquam negligantur. Hinc theriaca, mithridat, diaſcord, laudana & trochisci de carabe admodum convenient. Itidem D. CHRIST. JOH. LANGIVS Oper. med. part. I. p. m. 446. suadet: *Priapum ceti tanquam summum arcanum in Dysenteria adhibendum, quod Europei paucis retro lustris ab Indis didicere, summa nimis, que inest gelatinositas confitare vasorum ostia leſa ex voto potest.* Nec non PETRVS BORELLVS hisp. & Observat. rar. Cent. I. Observat. XIII. p. m. 23. specificum aliquod antidyfentericum commendat, dum ait: Rec. olei olivarum & facchari ana uncias II. liqueſcat faccharum in vale ferreo, addendo vitell. ovorum numero 3. & tribus diebus mane lumatur. In Observat. LVII. p. m. 63. citatus autor quoque refert: *Vidi egroratentem, quem Dysenteria longissima ad tabem tantam deduxerat, ut ei lac ſugendum muliebre Medici prescripſiffent: sed miraculo quaſi curatus optime & breviter fuit, uſu aquæ pro potu ordinario, in qua ſuber bullierat, uſus est etiam utiliter ſyrupo coralliorum & conſerva cynorrhod: ſed aqua ſuberata preceptuum ejus curæ fuit instrumentum.* De Dysenteria per tartar. emet. curata, mentionem facit Cl. D. VALENTINI in Prax. med. infallibil. tom. I. ſect. I. Cap. X. p. m. 41. & Celeberr. D. JOH. DAN. GOHL. in Medic. pract. clinic. & forenſi ſect. I. caſu L. p. 399. in puncto Dysenteriae 1719. graffantis, lequens Collegii Sanitatis Berolinensis communicat conſilium: *Eß hat 1) das Collegium Sanitat s Berolinense Ordre ergehen laſſen, an alle Land-Physicos und*

und Prediger, acht zu haben auf einreissende Seuchen, und bestand dessen Vorschlag, was sonderlich die rothe Muhr anlanget, in folgenden: Weil die Jahres-Zeit nunmehr verflossen, da sich die rothe und weisse Muhr, contagieus ausbreiten können, auch solche allbereits an vielen Orten cessiret: so hätte man doch, wenn sich etwas äussern sollte, dergestalt in der præcaution zu verfahren: 1) Daß man aller adstringirenden medicamenten sich enthalte. 2) Hingegen sich der corticis cascarillæ in der Cur so wohl in substantia & pulvere, als auch in forma essentia & extracti cum aqua recom mendiret seyn ließe, als welche derselben Krankheit meistens allein seine abhelfliche Maasze geben könnte, und dieses Jahr auch vielfältig gegeben hat. Berlin den 18. Novembr. 1718. Dysenteriam a vermibus subortam, mediante mercurio dulci, a D. STISSERO felici cum successu, esse sublatam, recenset Bresl. Gesch. IX. Ver such, p. 313. Hæc itaque præter alia adhuc quam plurima, potiora, & in hoc malo usitatiōra fuere medicamina. Quilibet autem dysenteriae medicinam faciens, ex his remedii ac consiliis suppeditatis, pro sua intentione convenientem & salubrem semper instituat selectum invadeo.

#### §. XIV.

Hic quoque non possum silentio præterire curat i ones casu factas, ut & remedia vel infecura, vel unius cuiusque palato non accommodata, & præterea dubii etiam effectus: Sic PETR. BORELLVS Histor. & Observat. Cent. I. Obs. XIII. p. 23. scribit: Pro arcano etiam habeo a Viro Illustrissimo, argentinæ folium plantis pe-

D 2

dum

dum admotum, omnes Dysenterias intra 24. horas fistere. Porro a Dysenteria grassante rusticus quidam, domesticos suos præservaturus, filioli sui sexennis feces ~~naturæ~~ rejectas studiose collegit, easque in sole siccatas in pulverem rededit, de quo manu seroque singulis domesticis, insciis tamen, in juscule duas drachmas propinavit. Quo remedio expulsi antea humoribus corruptis, omnes & plures alios in vicinia servavit. Rogatus hic rusticus, unde hauserit secretum hoc? a sene quodam venatore Westphalo, respondit, referente CHRIST. FRANCISC. PAVLLINO in Observat. med. physic. cent. 2. Obs. 61. p. m. 224. Idem etiam Auctor in Pharmacop. stercor. Sect. 2. Cap. 8. p. 108. chirurgi meminit, qui eodem medicamento multos dysentericos restituit. Contra Dysenteriam quoque, pro cura sympathetica, dysentericorum excrementa in colcothar, seu caput mortuum spiritus vitrioli, deposita, juvare dicuntur, hocque ANDREÆ CNOEFELII arcanum fuit, juxta JOH. MICHAELIS, Prax. clinic. part. I. Cap. 4. Oper. p. m. 153. Secundum D. JOH. DOLÆL Encyclopediae medic. lib. 3. Cap. 5. p. m. 434. ipsis dysentericorum fecibus inspergi potest pulvis sympatheticus DIGBÆI, vel alvum expediat æger super caput mortuum martis vitrioli, quod in periananda Dysenteria magneticam eamque admirabilem vim habere, creditur. Alii excrementis solum vitriolum pulverisatum inspergere, vel immiscere solent. Et juxta Celeberr. D.D. FRIEDR. HOFFMANNI Method. medend. lib. I. Cap. 19. p. m. 332. prima excrementa sanguine tincta, si salis manipulo misceantur, magneticæ vi curant; quidam caput mortuum vitrioli, alii anguililarum cutem pulverisatam addunt. Præterea, Dysenteria

rie curaræ verberibus A. N. C. Vol. IV. Observat. CXII.  
potu aquæ, HAGENDORNIUS Observ. Cent. 2. hif. 29.  
p. 194. sorborum esu, CAMERARIUS, memorabil. med.  
Cent. 17. part. 33. uvis recentibus & musto, A. N. C. Dec.  
2. Ann. 10. Obj. 192. balneo aquæ frigidæ, A. N. C. Dec. 3.  
Ann. 3. Obs. 51. mentionem faciunt. Hæc vero omnia,  
non tam imitationis, quam potius curiositatis causa, a  
me in medium sunt prolatæ.

§. XV.

Circa medicamentorum catharticorum usum vero,  
sequentes addendas esse cautelas, necesse duco: hinc  
omne purgans drasticum evitetur; falia, tanquam sti-  
mulantia & intestina læsa magis irritantia, fugiantur;  
pilulæ Francofurt. aloephant. resin. gialapp. extract.  
panchymag. colocynthid. troch. alhandal. & alia ejus-  
dem farina medicamenta, intestinorum plicis facile ad-  
hærentia, motumque peristalticum turbantia ac tenes-  
mum adaugentia, in mali præsentis cura, non sunt or-  
dinanda, porro fol. sennæ pulverisat. manna ut & syru-  
pi laxativi, v. gr. syr. fl. acac. de cichor. cum rhabarab.  
diaser. Andern. lenit. de tribus, de mann. solut. passul.  
laxat. viol. solut. &c. ob fermentationem, quam facile  
suebunt, & tormina exinde provenientia, in usum me-  
dicum hac vice non trahantur. In ægrotantibus quo-  
que imbecillis jam conditionis, ipecacuanha loco, ma-  
jori cum fructu rhabarbarum usurpatur, hoc enim, illa,  
minori cum vehementia operatur.

§. XVI.

Exulent itidem in Dysenteriæ curatione medica-  
mina adstringentia, cuiuscunque generis ac indolis illa  
D 3 etiam

etiam fuerint: horum enim usu ægrotantes charybdin quasi evitando, in scyllam incident. Suffulcitur hæc mea sententia, doctissimis medicorum rationalium antesignani, Excell. DD. FRID. HOFFMANNI, verbis, quæ in medic. ration. syst. tom. II. part. III. Cap. VI. p. 419. §. XVII. & XVIII. leguntur: Nulla insecurior & periculisior immodicas sanguinis profusiones compescendi ratio est, quam validioribus constringentibus uti, eo quod gravissima mala nunquam non sere insequantur. Neque hujus rei causam in obscuro positam esse illi intelligunt, qui sciunt hemorrhagias, ab internarum partium spasmis, & inde facto sanguinis ad partes majori appulsi, nunquam non profici. Cum vero adstringentia spasmos non sistant, sed potius misericordie augeant, ex eo sequitur, ut vel ipse erupciones sanguinis augeantur, quod non semel, sed sepius iterumque observavimus, vel sanguis ad alias & insolitas vias cum impetu feratur, ubi, si non exitum habet, gravia molitur mala. Porro totam rem exhauire videtur Cl. D. JOH. ANDR. SCHMIDIUS, quando in disquisit. de hamorrhagiis, aliisque fluxibus, per adstringentia non sistenda, Helmstadii 1727. edit. p. 29. sequentem in modum scribit: Dysenteriam quod concernit, illa despiciunt in benignam, id est talem, qua evidentibus gravioris febris signis e<sup>st</sup> destituta, & malignam, sive talem, qua febris ardentis symptomatibus stipata appareat. In benigna prima potissimum via causam morbi sovent, dum variis de causis prægressis, humores acreces in iisdem sunt generati & coacervati, qui primitus stimulum fibrillis nervis ventriculi & intestinalium inferentes, id efficiunt, ut sub aucto peristaltico motu, mucus intestinalium interiora investiens expellatur, quo facta cruditates ista, denudatas vasorum fibras erodunt, sanguinemque emanare faciunt, simul ob irritatas intestinalium fibrillas succedit frequentior per vicina viscera distributorum nervulorum constrictio, sub qua parvum circulus humorum per ista impe-

impeditur, sanguis e contra per intestinorum vasa majori copia effluere cogitur, partim bilis uberiori copia ex vesicula fellea & hepatice exprimitur, que cum acribus, jam tum presentibus humoribus, mixta pejorem corrostram indolem assumit, illisque imprimit. Facile ex his patet, perfectam ac securam diri hujus affectus eradicationem non posse sperari, nisi virulentii isti humores vel corrigantur vel educantur. Utrique indicationi et diametro opposita sunt adstringentia, peccare siquidem in dysenteria videtur, acidum acre, adstringentia vero quicquid fere agunt, ob acidas moleculas agunt, & per consequens causa morbi largiore formitem subministrant. Nec exclusionem humorum adstringentia largius data, juvant, cum potius, indicante id nomine, adstrictionem post se relinquant, ideoque venenum intra corpus deinceant, & hinc truculentorum symptomatum productrices evadant. Loquuntur hac de re crebre practicorum observationes, ex quibus cognoscimus dysentericus fluxum, adstringentibus sopitum, haud tolerandis molestum evasisse singultibus, convulsionibus, cardialgiis, aphthis, imo eundem degenerasse, in Dysenteriam albam vel intestinorum inflammationem, junctis anxietibus gravissimis, inquietudinibus summis, subsequentibus gangu, sphacelo, morte scenam claudentibus. Mitora fata, si cecitas morti preferenda, expertus est is, cuius mentionem injicit LANZONI M. N. C. Dec. II. Ann. X. p. 159. quem post Dysenteriam medicamentis summe adstringentibus sublatam, invaserunt dolores circa articulos, qui adnotis anodynis in cecitatem pleamarunt desierunt. Multo magis cavendum erit, ab usu adstringentium, in Dysenteria maligna, quippe in qua non tantum ad intestina respiciendum, sed etiam diaphoreos ratio maior, quam in benigna habenda. Inter ea autem, que diaphoresin refrinant, haud postrema sunt adstringentia, unde in maligna plus nocent, quam benigna, unde quoque est, quod eorum usus, in hoc morbo plane rejiciendus. Accedit & illud, quod Dysenterie haud raro frustra opponantur adstringentia. Sic refert OLAVS BORICHIUS, in

Act.

Act. Haffn. Ann. 1677. p. 130. de Dysenteria epidemica, contra illam decocta & pulveres adstringentes frustra fuisse prescriptos, quod etiam a me in Dysenteria, que paucos ante annos nostrates, vicinosque epidemice invasit, est observatum. Illi enim ex plebeis, vel etiam honorariis, qui sic dictis remedii domesticis, vel ab empiricis prescriptis, morbum debellari posse, persuasum habebant, & ea de causa in adstringentium usu solatum querabant, tantum abest, ut levamen invenerint, ut potius dolorum incrementum persenserint, accedebat tenebris gravior, sedes crebriores, feses, que quidem sanguinolenta, praterea tamen flave erant, in viridantes, imo nigras permutabantur. Et medicorum parens HIPPOCRATES Cous in lib. de victu acutor. p. m. 312. §. LIV. Dysenteriam sedatam, abscessum aut tumorem aliquem facere, sistit praefagium experientiae conveniens. Præterea dysentericos, ex usu vini rubri, ut & tinct. terræ catechu, lese pejus habuisse, observare & mihi contigit. Novi quoque quendam gonorrhœa benigna laborantem, qui ad partium genitalium tonum corroborandum, & insensibilem humoris fluxum inhibendum, utebatur eff. cort. granat. interne in larga dosi, & scipiis repetita vice assumpta; post viginti & quatuor præter propter horas vero, hoc remedio, in tantum incidit ani tenesimum, ut priori morbo nondum curato, jam de posteriori adfectu magis sollicitus esse, cogeretur. Ex his igitur allatis, finistram adstringentium administrationem, in dysenterie curatione, plus damni, quam emolumenti adferre, constat; id propter & leniter adstringentia, non nisi circa morbi finem, ad robur naturale, partibus relaxatis, conciliandum, suspensa tamen manu, porrigenda esse, perspicit quilibet, rei medicæ gnarus.

§. XVII.

## §. XVII.

Ad opiate devenio, quorum in dysenteria effectus, debitis ac singularibus extollendos esse laudibus, experientia convictus testor, si scilicet cum grano salis, i.e. cum judicio fuerint adhibita. Evidem me non latet, quod THONERVS lib. 3. obs. 8. p. 167. narcotica in dysenteria esse necrotica, statuere haud dubitaverit. Porro, in senibus & imbecillis corporibus, si infestantur dolore abdominis, opiate magis adhuc narcotica penitus exultent, item, quando acerbiores dolores diutius perseverantes, vires admodum fregerunt. Quod etiam tenendum erit, si ex summa debilitate, nimiris sudoribus corpora perfunduntur: paralysin enim tam veram, quam spuriam inde suscitatam fuisse, vel etiam sphacelum internarum partium inde productum fuisse, meminimus. In medic. rat. syst. Tom. IV. Part. II. Sec. II. Cap. V. p. 335. §. VI. perite scribit, nostri xvi Hippocrates, excell. D. D. FRID. HOFFMANNVS. Et sic quoque se res habet, si indifferenter & sine respectu ad morborum causam, medicinæ quidpiam commendatur & applicatur. Omne enim medicamen, sine deliberatione dispensatum ac usurpatum, nocet. Interim tamen in dysenteriae curatione, opium circumspecte adhibitum, singulares & cum euphoria ægrotantium combinatos ostendisse effectus, varia medicorum testimonia, oppido evincunt. Ea de cauâ, hic merito inseveranda venit observatio, quam Cl. BERN. RAMAZZINI, constitut, epidem. p. m. 201. §. XXXIII. his recenset verbis: dysenteriis porro, quas anno 1693. per autumnum peticulari febri supervenisse, superius dixi, egregie contulisse opiatorum usum observavi, nec forsitan ulla est affectio, in qua securius & liberaliori dosi exhiberi possit, hoc remedii genus,

E

quam

quam in hujusmodi morbo, fradis licet, ac pene attritis viribus. Cuidam acerrima dysenteria laboranti, pluries exhibui laudanum opiatum ad 3. & 4. grana; sed parvo levamine, vixerat hic ad plures dies omnino gelidus, ac sine pulsu, vires tamen non erant adeo languide, ut huc & illuc se jactare non posset; verebar, ne largiori dosi exhibitum laudanum, reliquum flammæ vitalis, que supererat, restinguaret: laudanum rursus ad grana 5. exhibui, ex quo eger placide dormivit, & excalefactus est, quod non tam doloris, qui dysenterias comitatur, sedatione, factum crediderim, quam propter virtutem opii diaphoreticam. Mentionem quoque facit dylynteriae, opiatissime curatæ, D. JOH. JAC. WEPFERVS, in observat. med. pract. p. m. 196. Itidem Celeberr. D. HERMANN. FRID. TEICHMEYERVS, in institut. mater. medicæ, Sect. IV. Cap. III. p. 196. hanc de opio suppeditat notitiam: opium est anodynum notissimum, est quoque stypticum in hemorrhagiis. Et Cl. D. JOH. JAC. WALDTSCHMIDT, in resolut. ad cas. XVII. de dysenteria, p. m. 519. not. 7. Opii usum commendat sequentibus: quod probe observandum, conveniunt quidem opiate prudenter adhibita, verum quam primum insignem quandam mutationem, in oculis, vel etiam frigus in ambitu corporis deprehendamus, religiæ ab iis abstinentum, donec nova necessitas eorum urgeat usum. D. JOH. DOLÆVS quoque in encyclop. med. Lib. III. Cap. V. p. m. 240. testatur: quod in cassellana dysenteria anno 1691. nimium grasse, præ aliis opium cum elest. discord. mixtum, egregium, expertus sit, ut & tinturam suam antidyentericam, ex opio & succo cydoniorum paratam, que raro eum destituit. Porro citatus Auctor, p. 241. ejusdem libri, salutare exhibet consilium, & monitum notatu dignissimum, quando

do de convenienti opiatorum usu, sequentem in modum differit: In indolentibus dysentericis caute cum opiatibus procedendum est. Hoc enim in casu bezoardicorum vis fortior esse debet, quod experientia tripli observavimus in consilio Nassovico Dr. B qui ab acidulis Sualbacenibus, in dysenteriam incidebat indolentem, & a pharmacopco, in quem fiduciam maximam ponebat, assumpsi mixturam, laudano opatio forsan in magna dosi commixtam, sive altero die aternam quietem in Deo natus est. Confer. An. 2. Ephem. Germ: Et hic valet illud, carere omni sensu doloris, miserius est, quam dolere. Consule & hoc in casu MINADOVM, Doctorem Patavinum, qui observavit omnes illos dysentericos, quibus consilio medici opium exhibitum fuit, supremum obiisse diem. Addit rationem HOFFMANNVS, de usu & abusu medicamentorum chymicorum, p. 30. quod scilicet ulcera intestinorum ab opio putridiora, & sordidiora reddantur. Sed ut verum fateamur, cum WILLISIO & WEDELIO, qui quadringtones dysentericos opiatibus je curasse, sandle testatur in opologia, p. 122. intrepide statim, sine opiatibus vix ullam veram dysenteriam commode curari posse, & oleum & operam cum aliis adstringentibus perdi. Hec autem debent cum bezoarticis tum volatilibus in principio seu medio potius, tum fixioribus in fine misceri. Tandem hac in re quoque consulatur chymicus consummatus Cl. D. CASP. NEWMANN in Lection. chymic. de opio, p. 141. Hoc equidem cognitum, quod medicamentorum narcoticorum ope, tota dysenteriae cura non absolvatur; id interim in praxi medica etiam obserbare licet, quod ad intestinorum dolores mitigandos & tenesimum minuendum, in diarrhoea mucido cruenta, polychreston ac

præsentaneum in opio reperiatur remedium ; alias tam  
men medicamentis non exclusis , sed simul adhibitis.  
Sic in dysenteria , hic Regiomonti , anno 1736. epi-  
demicæ grassante , laxativis & absorbentibus præmissis,  
iterum , iterumque repetitis , sequens medicamenta ge-  
nus : Rec. eſſ. alexiph. D. St. cort. aurant. & laudam liquid.  
D. Sydenh. in part. anat. ad aliquot guttulas , pro ſubje-  
ctorum conditione аſſumptum , magnum ægrotanti-  
bus præbuſſe ſolatum , e Medici cuiusdam hac in me-  
tropoli praxin exercentis , consilio benebole commu-  
nicato , annotavi.

## §. XVIII.

Præter medicamina interne propinanda , fluxui dy-  
fenterico medelam quoque faciunt topica , ſeu reme-  
dia externa , abdomini calide applicanda , uti ſunt:  
ſpiritus , olea expreſſa & deſtillata , balsama , unguenta ,  
emplaſtra , nec non cataplaſmata ; quæ vero omnia ,  
ut qualitate vel carminativa , diſcutiente ac diaphoreti-  
ca , vel leniente ac anodyna ſint prædicta , neceſſe eſt.  
Huic igitur ſcopo iſerviunt , e. g. ol. hyoscyami , cum  
ol. deſtill. cumin. & menth. cr. remixtum , ut & Rec.  
balf. N. M. unc. ſem. ol. deſt. aneth. chamomilla , ana-  
drach. I. m. , itidem Mithridat. Democrat. theriac. An-  
drom. & philon. rom. vel leorſim , vel conjunctim un-  
guenti iſtar ſuper alutam ducita , & ventri imposita  
non contemnendos hoc in morbo edunt effectus . Por-  
ro , lintea ſpiritu vini camphorato imbuta dysenteri-  
cis conducent , nec non miice panis fermentati ſem.  
hyoſc. aneth. & aromata contuſa commixta , ac ſpiri-  
tu theriacali humectatae , calideque abdomini adhi-  
bitæ , levamen adferre cenzentur. Præterea , cum dy-  
fente-

fenteriorum fauces persæpe inflammatione corripiantur ; ea de causa , iisdem justo etiam tempore convenientibus gargarismatibus , ac aliis remediis debite succurrentum erit , ne aphtæ iupervenientes , morbum in mortem degenerare faciant . Contra tenesimum prodest suffumigium ex resina alba , carbonibus injecta , intestino recto exceptum ac sèpius iteratum . Vel paretur in hunc usum pulvis pro suffumigio sequens : Rec. mastich. drach. II. thur; stylac. calanit. ana drachm. I. flor. verbasc. rosat. rubr. ana scrup. II. misce docente D. GOCKELIO in *Gallicin. med. pract. cent. I. consil. 52. p. 262.* Ani excoriationi inservit ungu. de ceruss. vel & sequentis compositionis . Rec. ol. lini drach. I. album ovor. no. I. ceruss. pulveris. drach. I. misceantur & applicentur . In dysenterie cura locum quoque inveniunt elysinata parata v. g. ex aqua, butyro. recenti ac insulso , & vitell. ovor. vel ex jure capitis vervec. aut ex priapo cervi, rad. tormentill. symphyt sem. papav. plantag. cum aqua decocta , tepideque injecta . Quod si autem sphincter ani fuerit exulceratus , ab eorum usu abstinendum .

### §. XIX.

Dispiciendum quoque erit , an in Dysenteria opus sit phlebotomia , cum medicorum alii eam ad intestinorum inflammationem præcavendam , esse necessariam , alii vero ob virium imminutionem , maxime noxiā existimant . Totam hanc controversiam autem eleganter decisam legimus ab Excell. D.D. FRID. HOFFMANNO , quando in *medic. rat. syst. Tom. IV. Part. 3. Sect. II. Cap. VII. p. 549.* pro singulari sua in machaonia arte peritia , sequens tulit judicium : *Commonis inquit multorum ipsi-*

E 3

psiusque HIPPOCRATIS, GALENI it. MARTIANI in libr. Hippocr. de ratione victus in acutis, p. 415. est opinio, alvo fluente non detrahendum esse sanguinem, & pro generali quidem in nostris regionibus monito pratico id ipsum haberi potest. Verum ego multiplici ductus experientia, statuo, quod in subjectis valde plethorici, dietæ vino&c adfuerit, si Dysenteria cum febre continua corripiantur, omnino perquam sit necessarium, venam ab initio morbi secare. Nam vanus est metus sanguinis missione vires imminui, & quum non modo plerique dysentericorum, ex inflammatione intestinalium moriantur; verum quoque plethorici, si continuis infestentur febribus, non nisi, ob nimiam sanguinis molem, ad stases, gangrenam & sphacelum disponentem pereant; non certe convenientius in his periculis antevertendis, venæsectione reperitur praesidium. Neque desunt testimonia scriptorum probatissimorum, qui hoc remedii genus insigniter commendarunt. Sic JVLIVS CÆSAR CLAVDINVS Resp. VI. se plures dysentericos venæsectione curasse perhibet, quales etiam observationes RIVERIVS Cent. I. Obs. 37. & 44. AMATVS LVSITANVS Cent. II. Obs. 45. ALTIMARVS de medendis C. H. malis, Cap. 71. BOTALLVS Cap. IV. SYDENHAM, Oper. med. Cap. de Dyfent. p. III. & ex recentioribus PASCOLI, in op. suis p. 190. recensent notatu dignissimas.

### §. XX.

Præter medelas tam interne, quam externe adhibendas, Dysenteria laborantes, pristinamque sanitatem anxie optantes, & cum dolore expectantes, diæta etiam ut sint studiosissimi, maxima urget necessitas. Aër igitur, quem haud interrupta inspiratione & exspiratione haurit æger, sit temperatus & purus; conductus ergo hac de causa conclave calefactum conservare,

re , & aërem excrementorum exhalationibus inquinatum , interdum per fenestram paululum apertam , foras emittere . Prodest quoque vas dejectiones alvi mucido-cruentas recipiens , de die saepius repurgare , ne vapores e fecibus morbosis assurgentes , adstantium corpus contagio suo afficiant . Præcavendum itidem erit , ne quis in latrinas dyentericorum desideat , ac inde malum sibi contrahat . Aér torminorum hypocausto inclusus , salubrior quoque redditur fumo , pulveribus mastich. thur. aut succini carbonibus inspersis excitato . Cum frequentissimis alvi dejectionibus ægrotantes facile etiam refrigerentur ; idcirco , ut eorum abdomen fascis sit ligatum , totumque corpus necessariis vestimentis induitum , haud incongruum est . Eculentorum assumendorum appetitus , plerunque hoc in morbo est prostratus , quod si tamen quidpiam cibi capere velit æger , tunc ille sit tenuis , & sale ac aromatis non acriter conditus , insuper autem bone digestionis ac nutritionis . Potus itidem non sit subacidus aut fermentescens , nec spirituosus ; hinc in finem , ptisanæ ex hordeo vel avena vario modo parata , infusum Thè viridis & croci , nec non juscum e cerevisia secundaria & vitello ovorum confectum , pro potu ordinario , tepide semper hauriendo , de meliori sunt commendanda . Vini usus est quibusdam suspectus , lac vero , ejusque serum , magis conducent . Ulterius omni quoque studio dyentericis , naturalis procuretur quies ac somnus , quo vires amissæ eo citius restituantur . Iracundiam & res adversas , animum reddentes inquietum , fugiat æger . Tandem regulis diæticis a medico curationem dirigente præscriptis ,  
omni

omni ex parte est obtemperandum, ne errore in diaeta commisso, tota Dysenteriae cura turbetur ac depravetur.


§. XXI.

Hæc itaque fuere, quæ pro angusto harum paginarum spatio, & levi eruditioñis meæ modulo, de Dysenteria ejusque medicatione in genere, dicere mihi proposui. Et cum pro certo habeam, quod specialis medendi methodus, quoad singula individua tradi nequeat; sed arduum hoc negotium soli judicio medici curam gerentis relinquatur: ideo tuto hic subsisto, & manum de tabula jamjam ferendam esse existimo. Ea insuper vota facio, ut secundum hæc de terminali alvi fluxu generalia, specialis semper cum ægrotantium euphoria succedat eventus, & ad propitiam Dei

T. O. M. voluntatem exoptata restituatur sanitas,  
tanquam primarius omnis medicatioñis

F I N I S.

D. L. S.







Halle; Diss., 1738 H-2



3


f

5b.

vD 18

20 bei Fr. Dr. v. Aicewinski  
Leihvertrag 6/7. 2011





*SPECIMEN IN AVGVRALE MEDICVM*

## EXHIBENS

# DYSENTERIAM EIVSQVE CVRATIONEM OBSER- VATIONIBVS AC CAVTELIS DEBITIS ADORNATAM

*2YOD*  
AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM

*IN REGIA FRIDERICIANA*

## *ORDINIS*

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
ORTINENDIS

PVBLCÆ LVCI EXPONIT

# FRIDERICVS SOMMEREY

## **FRIDLANDA - BORVSSVS**

## HALÆ MAGDEBVRGICÆ

Typis JOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI , Acad. Typogr.  
M DCC XXXVIII.